

OBSERVATIONES IN CODICEM MATRITENSEM M. 31

De Silii et Statii Silvarum scripta memoria

Poggiius Florentinus anno 1417 inter concilium Constantiense, iam paulo ante Manilii codicem (P1) adeptus nono fere saeculo exaratum et omnium extantium archetypum (caue ne hoc neganti Housmanno accedas), codicem et alterum (P2) occupauit, Silii Punica (P2*a*) et Papinii Siluas (P2*b*) continentem, horum operum prout ad aetatem nostram traditorum archetypum commune: quem librum eundem fuisse atque illud *Silii et Stacii Volumèn*, quod ex antiquo catalogo monasterii Reichenauensis dudum innotescit, ut aliis, sic satis mihi persuasum est. incipiente autem proximo anno idem Florentinus ad Barbarum amicum suum litteras mandauit, in quibus Silium, Statii Siluas, Manilium nuperrime ex P1 et P2 ab homine omnium uiuentium ignorantissimo descriptos se ei destinare profiteretur. hic codex, apographum dico Poggianorum exemplarium illorum P1 et P2, et hodie extat, quamuis mutilatus: est enim codex Matritensis M31.

Ea fuit codicis pristina forma, ut duo et uiginti seniones continuerit, paginis singulis quadragenas fere lineas praebentibus. Manilium, qui prior excudendus erat, folio 55r absoluit scriba; uerum, cum nondum adesset codex Reichenauensis (P2), ceterae quinti senionis paginae uacuae relictae sunt: et folium 60u, h. e. partis Manilianae extrema pagina, ad uim et foeditatem aeris expositum, aliquanto sordidatum est (quod testantur collatores). aduenit tandem P2; quem sic transcripsit ignorantissimus ille, ut Punica folio 61r ingressus, folio 212u finierit; quin et exemplar ante oculos habens Silio-Papinianum, ex Punicis in Siluas haud moratus transiit. Statium ergo aggredebatur folio 213r, quae senionis nona pagina erat; et nouenarium numerum etiam nunc ad calcem paginae uidere possis; Siluis denique folio 263u explicitis, ultimum folium senionis duoeticesimi manu scribae intactum reperitur.

Hodie tamen manuscripto deest primum folium; et, quod grauius est, folia 61 usque ad 212, uidelicet Siliana, alter quidam Verres excissa deportauit; hinc nempe nascitur quod

ad Papinii prima quattuor schedas, prius cum foliis 205—208 bifoliatas, tunc auulso Silio fatiscentes atque irreligatas, conglutinavit aut idem aut alius altera quattuor folia (quam reprodit chartae diuersitas nouitasque), ut euaserit simulatus quidam quaternio. ita se nunc habet codex Matritensis.


Non olim sic exulasse Italicum luculenter ostendit Thielscherus apud *Philologum* anni 1907: constare excidisse ante Siluas seniones incerti numeri una cum octo foliis; itaque, reuocatis Poggii litteris, in quibus de hoc ipso libro quasi Manilium Silium Statium adhibente loqueretur, se uersus Silianos paginis quadragenarum linearum dinumerasse. quid multa? uersus reperit in trecentas et quattuor paginas quadrare, id est in seniones duodecim et folia octo.

At Thielscheri rationes denuo et paulo accuratius ad calculos reducamus, ne cui res nimis praestigiis inuoluta esse uideatur. capiti siue titulo Punicorum spatium tribuimus 6 linearum; lib. I 690 + 2 (qua scriptum fuerit quale *explicit liber primus / incipit liber secundus*): lib. II 702 + 2; lib. III 714 + 2; lib. IV 829 + 2; lib. V 677 + 2; lib. VI 716 + 2; lib. VII 749 + 2; lib. VIII 596 + 2; lib. IX 657 + 2; lib. X 658 + 2; lib. XI 611 + 2; lib. XII 752 + 2; lib. XIII 895 + 2; lib. XIV 688 + 2; lib. XV 823 + 2; lib. XVI 699 + 2; lib. XVII 654 + 1: quarum summa, 12, 149, trecentas et quattuor paginas consumit, ultima non tota expleta. sane ex rationibus uersus omisi quos omittunt codices, scilicet I 550sq., 566b—568a, II 26, 312, 534b—537a, V 343, VII 620, VIII 144—223, XVI 354b 355a. quin ultra pergimus et paginarum lineationem restituumus? praebuerit ergo folium 61r caput operis (sex lineas) et Sil. I 1—34, fol. 61u I 35—74, etc., etc. fuerint folio 126r Sil. VIII 104—143, et folio 126u — quid huic fuerit? VIII 144—183 ais? immo VIII 224—263. nempe octoginta illos uersus, VIII 144—223, ut praedixi, nullus habet codex; et octogena uero bis quadradena faciunt, tot quot continent uersus Matritensis paginae. quod casu potius fieri quam ratione quadam, nullus autumauerim.

Testimonium Heitlandi apud *Journal of Philology* XXIV pp. 179-214 de his uersibus optime edisserentis hic breuiter repetamus: Baptista Guarinus hos uersus nactus est, 'quos (uersus tibi ait, non codicem neque ex codice excerptum) e Gallia sibi cum aliis quamplurimis rebus scitu dignis missos fuisse dicebat (non remissos uel aliud id genus, ut illos efflagitasse eum intel-

legas)'; Constantius uero Fanensis uersiculos sibi ab illo exhibitos anno 1508 in Collectaneis suis edidit, octoginta duos numero, uidelicet 144-157, 157a-223, 224a; in editione denique Aldina anno 1523 emissa Franciscus Asulanus, qui eos ab ipso Guarino accepisse uidetur, octoginta unum protulit, uidelicet 144-223 et 224a. quos uersus, ut loco proprios et ingenium uel potius curam Siliii omnino redolentes, genuinos recte iudicat Heitlandus. rem sic enodo: Matritensis scriba, confecto folio 125, ad undecimi senionis medium bifolium festinabat; parum tamen curiose duo bifolia in manus sumpsit, quae tam arte inter se cohaerebant ut eas habuerit ille pro uno bifolio; itaque, VIII 143 ad calcem folii 126r iam exarato, alteram paginae faciem aggressus, uersam faciem folii noui reapse spectabat, quamuis ipse folium 126u prae se reuersum iacere male reputaret; quare factum est ut VIII 144-223 non in foliis 126u et 127r (quod debebat) excuderit, sed in bifolio alieno. atqui cum, mox scripto uersu 223, recte nunc paginam uertisset, suum errorem patefecit; haerens quid faceret, ad 126u recurrit, uersus 224sq. deinde iusto ordine transcribit, bifolium denique illud ingenue relinquit in medio senione. en tibi tabulam, qua res aperte clarescat!

Matritensis senio undecimus qualis quondam extitit



Poggius, emendandi causa 'usque ad XIII librum' codicem postea euoluens, in margine eiusdem bifolii uersum 157a addidisse uidetur, quem propter homoeoteleuton forte praeteriit

scriba. aduolat mox ligator qui seniones consueret, oscitanter exturbat bifolium abundans. id alicubi *in Gallia* delitescit, quoad doctus quidam ad Guarinum committit. is uersiculos Asulano et Constantio adhibet; atque uersum 157a accipit hic, respuit ille. quis fuerit qui uersum 224a concōxerit, aliis enucleandum relinquam: ceterum a Silio profectum esse minime crediderim, qui, ut alia taceam, uocabula *Romam* et *Poenos* in uno atque eodem uersu uix collaturus fuerit, cum alibi duodecim nomina usurpasset ut Poenorum nomen uariaret, triginta uero ut Romanorum.

Pl, alterum exemplar Poggianum, mox ab ipso in Italiam allatum, ibi cum diu ex conspectu hominum reconditum exulasset, in manus Petri Leonis Patauini tandem deuenit, qui librum anno 1491 Angelo Politiano commodauit. hic uero, libri Maniliani uetustatem et pretium agnoscens, ipsius uerbis '*che io per me non ne uiddi più antiqui*', Venetiae in impressa quadam editione nonnullas ex eo decerptas lectiones notauit: at, infortunium magnum, iam olim perierunt cum Pl tum exemplar illud editionis Venetae. P2, Poggii alterum exemplar, simul ac apographum expediuit ignorantissimus ille, in duo sui dimidia distractum est: Poggius enim posteriores quaterniones, h. e. dimidium Papinianum (P2*b*), execut. de hoc mox plura. nunc tamen quaero quid sit perpessa pars Siliana. nimirum non nostra aetate extare constat; sed quod subodorari uideor, etsi de capite parum caute periclitabor, non dissimulabo. quippe suspicione haud leui moueor hunc codicem (P2*a*), ad finem (ut uidimus) dilaniatum, eundem fuisse atque illum codicem nunc deperditum, quem Coloniae in bibliotheca cathedrali seruari saeculo sextodecimo testabantur Ludouicus Carrio et Franciscus Modius; nonnullas hi lectiones inde depromptas alias alibi rettulerunt; et eorum copiis usus, magnus Heinsius, qui codicem non ipse uidetur conspexisse, traditas lectiones in unum congegessit; ex huius denique adnotationibus, nonnumquam sibi uel Carrionis uel Modii repugnantibus, quas et legere interpretarique rem ualde lubricam concedunt omnes, nunc maxime pendet Coloniensis memoria. de P2*a* siue Sangallensi (ut hic loquar cum Silii editoribus) et de Coloniensi hoc tantum moneo: utrumque nono fere saeculo exaratum fuisse, utrumque ad calcem dilaniatum (hunc in XVI 555 desiisse manu barbara mutilatum renuntiat Heinsius), neque Coloniae hunc ante repletum esse quam ille illinc euanuerit. potest, fateor, ut de du-

obus codicibus hic agatur: sed proueniat mihi alius qui hos Menaechmos dinoscat; ego nequeo.

Ad Poggianum Siluarum exemplar (P2b) reuertamur. hoc enim, cum in Italiam attulisset Florentinus, spatio temporis intermisso in manus deuenit Politiani, sicut exemplar Manilianum, fortasse et eodem anno. qui, qua fuit sagacitate atque industria, in Siluarum editione quadam Corsiniana (hucusque extanti) lectiones inde complures descripsit; qua fuit probitate atque humanitate, posterorum in usum haec adiecit: *exemplar ex Gallia Poggius in Italiam attulerat: a quo uidelicet uno, licet mendoso deprauatoque et (ut arbitror) etiam dimidiato, omnes codices emanarunt; quare cautio mihi fuit ne quid in corrigendo hoc nostro ab illo mutarem, ne nimia diligentia aut mihi aut ceteris studiosis noceret.* quid, quaeso, clarius uel magis perspicuum? quid prudentius? quid officiosius? et quam recte illud de exemplaris dimidiatione, quippe quae pars posterior olim fuerat codicis Reichenauiensis Siliio-Papiniani! testes ergo exemplaris Poggiani habemus nunc duos, hinc codicem Matritensem ab homine ignorantissimo exaratum, hinc lectiones Corsinianas quas sedulo descripsit Angelus Politianus, lumen aetatis suae. quod expectares, candide lector, mire conspirant; ex multis pauca delibo: I iv 60 *precidem*, II vi 58 *causas*, III iv 70 *corpens*, III iv 84 *faucia*. hic illic leuiter dissentiunt, utpote doctus et indoctus: I ii 203 *nitidae* Pol., *mtiade* M; I iv 88 *lacera* Pol., *laeta* M; II i 88 *elegisse* Pol., *flegisse* M. porro easdem lacunas ad IV ii 27, v 42, V v 24sq., 76sq. et 84 una uoce nuntiant.

Uno tamen loco nec ullius momenti duriuscule, specie dumtaxat, differentes, tantam controuersiam suscitauerunt, ut uir ille praestantissimus, litterarum humaniorum egregius sospitator, crimine imperitiae, indiligentiae, immo (quod pronis auribus accipitur) fraudis et periurii diu acerrime uituperetur. enimuero tantum reum defendebant nonnulli, absoluit tamen nemo: insectari hominem atque sugillare facilius uidebatur. alii roganti *Philologo* 1907 p. 98 *'cur Politianus errare non debet?'* respondit alius *Classical Review* 1913 p. 263 *'cur Politianus mentiri non debet?'*; alius in editione Teubneriana *'errasse autem Politianum'* ait *'in altera utra re certum est'* et mox *'ego nunc malo statuere de uersu illo falsa referri.'*; nuperrime alius 1953 apud *Classical Quarterly* p. 73 *'there is no difficulty in assuming that Politian was mistaken'*. age, accipe exordium

litis: post I iv 86 subicit ignorantissimus ille uersum scabrosum quendam ac deformatum, maiorem partem prioris dittographiam; Politianus uero in exemplari fuisse negat. hinc illae rixae. nugatoriam rem aestimas? recte tu quidem. sed omnem inuidiam ut uiro magno abstergeamus, quid uere hic acciderit explicabimus, et 'hi motus animorum atque haec certamina tanta pulueris exigui iactu compressa quiescent'.

Ab ipso uate principium: libri primi quartum carmen Rutilio Gallico conualescenti dedicat, et uersibus 83sq. Apollinem audimus laudes illius praedicantem: nimirum dederat poeta: —

- 83 Libyci quid mira tributi
obsequia et missum media de pace triumphum
- 85 laudem et opes quantas nec qui mandauerat ausus
expectare fuit? gaudet Trasimennus et Alpes
Cannensesque animae; primusque insigne tributum
- 88 ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.

h. e. 'quid opus est laudare eum qui compararit obsequia et triumphum et opes spem Domitiani exuperantes? gaudent manes deuictorum Romanorum, ex quis Regulus primus tributum poscit, protrahens corpus lacerum suum.' de duobus hic moneo. extremo uersu *lacera* (Pol.) legendum an *laeta* (M)? illi suffragor, quandoquidem sermoni noui quid impertit, Reguli tormenta haud incommode reuocans; accedit quod aduerbium *palam* aptum reddit; denique, quod summum est, ex ueterrimo libro diserte contra *laeta* citatur. hoc manifeste redundat: quippe Romanos a Poenis occisos gaudere iam didicimus, unde et Regulum gaudere in promptu est. sed *laeta* fac fuerit: quorsum tum spectat? anne Regulus ideo palam laetus fingitur, ut eum gaudia simulantem subaudiamus, aut ceteros dissimulantes? deinde, praecedente illo *gaudere*, facilius crediderim *laeta* perperam pro *lacera* transcriptum, quam hoc pro illo: uocabula saepe confusa esse docet Marklandus ad locum. et dic, amabo, num *laeta* expresse contra *lacera* uindicauerat Matritensis librarius? sed in re tam aperta quid opus est desudare? transeo ad rem alteram. tertio enim uersu, ubi *tantas* habebat exemplar Poggianum, *quantas*, qua emendatiuncula nil uerius, Marklando obtemperantes asciuimus: Papius profecto necesse est, sicut *obsequia* et *triumphum*, ita et *opes* aliquo epitheto amplificarit; quod si, hoc respiciens, post *tantas* distinxeris, prorsus obiectum auferes expectandi uerbo.

sed in his nemo, ut opinor, reluctabitur. corruptela autem antiquitus grassata esse uidetur, nec dubito quin iam in fonte exemplaris Poggiani extiterit. leuissimum sane mendum: atqui, sicut mox uidebis, quisquis fuit qui ita textum inquinauit, nae ille altiores quidem molestias substruxit. missis enim orthographiae quisquiliis, locus in Poggiano exemplari sic olim legebatur:

- 83 Libyci quid mira tributi
obsequia et missum media de pace triumphum
- 85 laudem et opes tantas nec qui mandauerat ausus
expectare fuit? gaudet Trasimennus et Alpes
Cannensesque animae: primusque . . .

Adest mox studiosus nescioquis, uir litteras alioqui callens; aut ualde fallor, aut monachus erat Reichenauensis. is librum depromit, in locum incidit, sententiam extorquere conatur: *quid . . . obsequia et . . . triumphum, laudem et opes . . .* sed, nominum substantiuorum serie deceptus, *laudem* pro accusatio accipit, ut prima fronte quiuis alius: pergit ad cetera, uerbum agendi exquirens; *mandauerat* ad pronomen relatiuum recte relato, peruenit ad *expectare fuit*. quid? accusatiuos hinc regi censet, ut sit constructio '*quid obsequia, triumphum, laudem, opes expectare fuit?*'; uidelicet fefellit eum *quantas in tantas* immutatum: quod ni fuisset, *expectare fuit ex quantas* dependere profecto percepturus erat, atque tanto facilius laudandi uerbum agnoscere poterat. sed ei, quamuis hic nescioquomodo caecutienti, non adeo defuit ingenium ut uerbum prima persona positum desiderari non intellegeret: requirendum ergo uidebatur quid quale *uerbis meis referam* uel *hominibus nuntiam*, abiciendum uero *expectare fuit*; quare, cum hoc hemiepis mensuram expleret, sententiam illam eadem mensura exprimendam esse. sic ratiocinatus, uersus ut satis numerose proflueret, mox *attollam cantu* excogitauit. enimuero in hoc a Marklando haud immerito uapulat ille, quia Apollo hic narrat tantum, non canit; sed non talia trutinantur Bauii. at quid sensus elicuerit ex *tantas nec qui mandauerat ausus?* haeres? haerebat ipse. uerum orationem in sententia principali feliciter restaurasse arbitratus, in relatiua claudicantem minus sollicitate ferebat. ergo extrudendum *expectare fuit*, infulciendum *attollam cantu*. itaque manu sua, nempe altera et recentiore quam primi librarii, uerba uel sic uel simili quodam modo exemplari inculcat:

obsequia et missum media de pace triumphum
 laudem et opes tantas nec qui mandauerat ausus
 expectare fuit. gaudet thrasymennus et alpes

cannensesque animae primusque insigne tributum
 ipse palam lacera poscebat regulus umbra

1. *attollam cantu
 gaudet etc.*

Hoc tandem, lector patiens, in Poggiano aspiciabant ignorantissimus et Politianus. quorum ille, cum Poggius librum ex monasterio nuper ereptum ei describendum tradidisset, exarato iam Manilio, iam Silio, Siluas demum ingressus, hoc loco securus fortiter procurrit: *obsequia et missum . . .*; inde *laudem et opes . . .*; tum *expectare fuit . . .*; dein — sed hercle, quid hoc? ‘hic insere *attollam cantu gaudet* et cetera’, sic enim accipit. at quae illa cetera? nempe *thrasymennus et alpes*. dixerit aliquis, nonne orationis cursum funditus erat turbaturus, sic uersum inferciens? pol profecto: sed id ignorabat ignorantissimus; quid enim illi cum Papinii floribus liquidisque fontibus? ei id solum imperatum erat ut exemplar describeret. itaque bona fide, quod oportere se facere opinatur, uersum inserit. culpabunt alii; ego uero hominem laudauerim honestum et laboriosum.

Fugaces labuntur anni. interea Matritensis textus apographis propagatur suis, deinceps horum apographis, editione denique principi 1472 uulgata. exeunte tum saeculo Poggii exemplar occupat Politianus; qui I iv 83sq. aggressus, ubi editio uersum abundantem praebebat, discrepantem uetustissimum librum deprehendit, et nimirum uidit in margine additamentum illud, recentiorem manum totum praedicans. in promptu fuit hariolari, quod et cuius condonauerim, quendam, qui Siluarum editionem principem possideret, cum uersum illum *attollam cantu* etc. deesse in libro uetustissimo aduertisset, diligenter in margine addidisse. uerumtamen talia minime curabat bonus Angelus, quippe qui antiqui librarii calamum assequeretur. nam, quod calumnias et alucinationes posteritatis nullus praesciuerit, quis illi obiciet? quid enim? uersum illum perquam monachalem atque monstrosum ab eo qui uetustissimum exarasset numquam profectum esse, hoc ex scripturae diuersitate atque ex ipsis uersibus continuo et sine remissione sibi subeuntibus uel luce clarius uiro illi doctissimo apparerat. in editione Corsiniana igitur ad uersum 86a probe ac recte notauit: *hic uersus deest in libro uetustissimo*.

Causa perorata est; qua iam tandem satis ostendisse speramus, qui factum sit ut, de eodem testificantes Matritensis et Politianus, alter ab altero hic descuerint, neuter falso: et affirmanti editori recentissimo *'entre le témoignage du texte et le témoignage de l'humaniste la conciliation est impossible'*, ei quidem illud impossibile facere potuisse nos profecto gloriabimur, laborem o utinam in hac nostra uita semper tantillae molis!

Captoniae

G. P. G o o l d

HOMER BEI METHODIOS VON OLYMPOS

Wir wundern uns nicht, daß uns in der antiken Literatur Homers Namen und Werk allenthalben begegnen und seine Wirkung trotz mancher Kritik einzigartig war ¹⁾. Überrascht sind wir erst, wenn wir die Schriften der griechischen Kirchenväter durchblättern und dabei erfahren, daß auch sie mit Homer umgehen wie mit einem sehr vertrauten Freund. Bisher war man im wesentlichen nur darauf bedacht, das Verhältnis der Väter zu Platon aufzuzeigen. Hugo Rahner hat das Verdienst, auf das Weiterwirken Homers in der christlichen Literatur hingewiesen zu haben ²⁾. Die einzelnen Autoren wurden jedoch noch nicht daraufhin untersucht. Wir wollen diese Frage heute angehen bei einem Manne, der sicher nicht zu den größten Vätern zählt, der aber zeitlich an bedeutender Stelle steht und für die Begegnung des Christentums mit der Antike manches zu sagen hat, bei dem Bischof Methodios von Olympos, gestorben um 311 ³⁾.

1) Vgl. St. Weinstock, die Homerkritik u. ihre Nachwirkung. Philol. 82 (1927) 121—153; F. Wehrli, Zur Geschichte d. allegor. Deutung Homers i. Altertum. Diss. Basel. Lpz. 1928; H. G. Gadamer, Plato u. die Dichter (= Wissensch. u. Gegenw. 5). Frankfurt a. M. 1934. Neuerdings Fr. Mehmel Homer u. die Griechen. Antike u. Abendland 4 (1954) 16—41.

2) H. Rahner, Heiliger Homer in: Griechische Mythen in christl. Deutung. Zürich 1945. 355—492 (= Rahner, Mythen).

3) Vgl. Hieronymus, De vir. ill. 93; O. Bardenhewer, Gesch. d. altkirchl. Lit.² Frb. Brsq. 1914. 338/39.